

seu eius parte per eiusdem domini Petri duritiam, pertinaciam & contumaciam, in D  
 graue & maximum scandalum uniuersalis ecclesie & Christiani populi atque peri-  
 culum fidei catholicae & ruinae fidelium animarum, scissam detinet & lachryma-  
 biliter uulneratam, idcirco eadem sancta synodus inter cetera ad ipsum schisma  
 haereses alias extirpandum, procurandamque ipsius ecclesiae unionem, praecipue con-  
 gregata, considerans quod praemissis attentis, totum huiusmodi schismatis pondus  
 in persona dicti domini Benedicti consistit, & quod in eo solo stat, quo minus ipsum schi-  
 sma radicitus extirpetur, & per consequens resulet praefata unio ecclesiae sanctae dei,  
 & attendens quod tam in diuturnis temporibus quibus hoc schisma pestiferum per-  
 tractum est, omnium doctissimorum uirorum Christi fidelium ingenia etiam cum  
 summis studiis & laboribus, attentis maxime difficultatibus eiusdem schismatis, nul-  
 lam uiam possibilem & securam sine fidelium scandalo ad praefatum schisma extir-  
 pandum reperire potuerunt, praeter cessionem de papatu omnium contententium,  
 quam uiam idem dominus Benedictus uocatus a suis, uelut uictorum Christi fidelium  
 uox testatur, ante suam electionem a suis in papam, pro pace danda ecclesiae lau-  
 dauerat & approbauerat, atque in ipso conclauis quando fuit electus, promisit & iu-  
 rauit prosequi unionem ecclesiae per omnes uias accommodas, usque ad cessionem B  
 de papatu inclusiue, si ipsum in papam eligi contingeret, ut cardinalibus qui tunc erant,  
 uel eorum maiori parti expedire uideretur, atque post suam electionem idem pro-  
 misit & iurauit, dictaeque conditio postmodum etiam purificata exitit, & deinde pro  
 pace danda ecclesiae promiserit, & iurauerit papatu suo praetense cedere, altero uis  
 delicti Ioanne & Gregorio cum eo contendente, cedente, mortuo uel cecido, quae etiam  
 am conditio in ambobus, uidelicet Ioanne & Gregorio praedictis, solenniter impleta  
 est, ut praefertur: attendens igitur quod idem dominus dictus a suis Benedictus,  
 iam uiginti duobus annis completis, papatum secundum se tenuit, quibus temporibus  
 multis modis ex parte regum, principum, praelatorum & aliorum  
 Christianorum, tam suae, quam alterius obedientiae etiam post purificationem con-  
 ditionum praedictarum, fuit cum magnis & iteratis instantiis seriose, solenniter, hu-  
 militer & deuote requisitus, quatenus pro tollendo huiusmodi schismate & pro uni-  
 one ecclesiae sanctae dei uellet suo praetense papatu cedere, prout secundum omnium  
 fidelium seu maioris partis illorum iudicium tenebatur iure diuino pariter & huma-  
 no, quod facere ipse semper animo pertinaci atque effrenato, superbia ac tumoris spi-  
 ritu cotreptus recusauit, & subterfugia quaedam adhibens, ad excusandum excusatio-  
 nes in peccatis, ecclesiam ipsam in huiusmodi schismate quod ipse tollere potuit, re-  
 linquens, nullam debitam curam aut diligentiam sufficientem & effectiuam adhi-  
 buit ad ipsum schisma tollendum, & ecclesiae unionem consequendam, sed ad unum  
 terrarum angulum in castro munitissimo Panistole in litore maris, ubi ad eum non  
 esset tutus accessus, se reclusit, ubi omni suo posse praefatum inueteratum schisma nu-  
 trit & fouet, & impedimenta quaecunque potest, praestat & procurat, ne ad dictam  
 unionem peruenire possit: quae omnia secundum sanctorum decreta haeresim infe-  
 runt manifestam. Ea propter super praemissis & alijs declarandis in processu & lavi-  
 us exprimendis, uolens eadem sancta synodus euacuare quod ex parte est, ut sequatur  
 perfectum, & ad ipsum schisma penitus submouendum procedere, licet praemissa  
 omnia notoria & uera communiter habeantur & reputentur, & super illis tota fide-  
 lium clamat multitudo, sibi ipsi satagens providere, quasi pro quodam huiusmodi pa-  
 uisionis remedij fundamento committit deuotissimis ecclesiae filijs Guillelmo tituli  
 sancti Marci, & Francisco tituli sanctorum Cosmae & Damiani dicto Florentino san-  
 ctae Romanae ecclesiae cardinalibus, Ioanni electo patriarchae Constantinopolitano,  
 ac uenerabilibus fratribus Stephano Dolefi, Roberto Saresbiriensi episcopis, ac di-  
 lectis ecclesiae filijs Iacobo electo Parmensi, Guillelmo Pulchrinepotis, fratri Anto-  
 ni Taxal generali ordinis beatae Mariae de mercede, fratri Mauricio de Praga sacrae  
 paginae